



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.  
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate  
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In  
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

**LePrévost, Jean**

**Dvaci, 1629**

Art. V. Vtrum corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

D V B I V M II.

*Virum quantitas corporis sit in hoc Sacramento ex vi verborum, an concomitanter?*

**A**LIQVI asserunt quantitatem corporis Christi in uniuersum esse ex vi verborum; hanc vero, aut illam singularem quantitatem solum esse per concomitantiam & per accidens. ita Vasquez disp. 187. cap. 4.

Sed communior sententia tehet cum D. Tho. hic, solum esse per concomitantiam; quæ est verior, quia quantitas non requiritur ad veritatem verborum, hoc est corpus meum; hic est sanguis meus; nam licet corpus & sanguis in re ipsa suam habeant quantitatem, hæc tamen non intelligitur necessarium, intellecto corpore; sed solum materia, & forma partiales substantiales, quibus corpus constituitur in ratione corporis organici, ex qua ratione probatur resolutio, & soluitur argumentum Vasquez intendens corpus organicum, & heterogeneum non posse intelligi sine hac, vel illa quantitate: dico enim organizationem corporis, per quam constituitur in ratione corporis organici, non peti à quantitate, sed à formis partialibus substantiis diuersæ rationis, & hoc corpus posse intelligi sine quantitate, idem dicendum de sanguine, cuius quantitatem Vasquez supra libenter concedit non poni ex vi verborum.

D V B I V M III.

*Virum qualitates quæ competunt corpori vel anime Christi in celo sint in hoc Sacramento, & qua ratione?*

**C**OMMUNISSIME docetur corpus Christi existere in hoc Sacramento cum debito qualitatum temperamento, quale habet in celo, quia illud temperamentum requiritur ad debitam corporis constitutionem, nec vltimum dicit ordinem ad locum. Confit. corpus Christi in hoc Sacramento non est deforme, sed debet habere omnem debitam proportionem: hinc est quod habeat colorem qui exsurgit in corpore humano ex illo temperamento; habeat similiter pulchritudinem resultantem ex debita colorum & membrorum proportionem.

Vasquez disp. 187. c. 4. insistentis suis principiis quod huiusmodi temperamentum requiratur ad constitutionem corporis organici, censet poni ex vi verborum.

Sed probabilius est poni per solam concomitantiam, vt communius Doctores cum S. Thom. hic in fine corporis. Ratio est, quod corpus organicum in suo conceptu non includat huiusmodi qualitates, quibus enim eas requirat, vt debitas, & quibus materia disponatur ad receptionem formarum constituentium corpus organicum, tamen illæ qualitates non sunt de ratione corporis organici.

Quoad qualitates anime, suppono quæcumque accidentia anime in hoc Sacramento inueniuntur, solum poni concomitanter, cum ipsamet anima non nisi concomitanter ponatur in hoc Sacramento. Porro accidentia anime continentia sunt vel potentia, vel habitus, vel actus, vel species intentionales.

Dico 1. potentia anime ponuntur in hoc Sacramento: cum enim sint anime proprietates &

connaturalia eius accidentia, sequitur ea inueniri vbicumque ponitur anima in debito & conuenienti statu: cum ergo anima non debeat dici poni in Sacramento destituta suis connaturalibus proprietatibus, dicendum huiusmodi potentias in hoc Sacramento inueniri.

Dico 2. habitus etiam tam naturales quam supernaturales, quos anima Christi habet in celo, hic reperiuntur, v. g. habitus luminis gloriæ, charitatis, scientiæ tum infusæ tum acquisitæ: quia sunt anime perfectiones in statu naturali competentes, anima autem in hoc Sacramento prædita est perfectionibus spectantibus ad suum statum: vnde etiam in hoc Sacramento videt & amat Deum, quia illi actus spectant ad statum anime, suntque necessarij, sunt etiam in hoc Sacramento dotes corporis Christi.

Maiores est difficultas de alijs actibus vitalibus qui anime Christi in celo non semper, & necessario competunt; videri enim possunt etiam hic ponendi per concomitantiam, cum competant anime in celo independentè à loco.

Nihilominus probabile videtur quod non ponantur per concomitantiam; cum enim modò sint, modò non sint, & non necessario competant anime in suo statu naturali, & proinde non habeant necessariam cum ea connexionem, nec videatur probabile inueniri in hoc Sacramento assiduam mutationem per concomitantiam, probabile sit hæc accidentia non poni per concomitantiam in hoc Sacramento, quod docuit Lessius in hunc art. Idem est iudicium de speciebus, si quas accipiat à rebus, quæ in absentia obiectorum pereunt.

ARTICVLVS V.

*Virum corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco?*

**E**X corpore articuli duæ possunt elici conclusiones.

Prior. corpus Christi non comparatur ad species sicut locatum ad locum, nec est sub illis tanquam in loco, quia species non habent rationem loci respectu substantia panis.

Posterior. corpus Christi non est in loco, secundum quod est in hoc Sacramento; quia non est localiter ratione suarum dimensionum seu ratione quantitatis suæ, cum illa hic non existat modò quantitativo: nec dicendum est esse in loco mediante quantitate panis, cum illa non afficiat corpus Christi tanquam suum subiectum.

Quoad hanc secundam conclusionem

Notandum non posse negari corpus Christi esse in eodem spatio cum speciebus, atque adeo remansurum in eodem spatio, si destructis speciebus conseruaretur: vnde, nisi sit questio de nomine, potest dici esse in loco quemadmodum anima rationalis informans corpus, est in eodem loco cum illo: non tamè dicitur locum occupare, vt est in hoc Sacramento; quia occupare locum est ita contineri loco, vt totum respondeat toti loco continenti & pars parti loci. propter quam rationem nec dicitur esse in loco circumscriptiue, quia circumscribi loco est commensurari partibus loci adiacentis, & partem locati æquare parti loci & totum toti. forte id solum vult S. Tho. scilicet corpus, etiam prout est in eodem spatio cum speciebus, non esse circumscriptiue in loco.

Aduerte S. Tho. responsione ad 1. docere idem

N n 3 corpus

anime potest in hoc Sacramento.

Conclus. 2. poni habitus naturales, & supernaturales.

Actus vitales probabiliter hic non ponuntur, vii nec species.

Lessius.

25.

Corpus Christi est in eodem spatio cum speciebus.

Non tamè dicitur locum occupare.

S. Thom.

Potest dici  
esse definiti-  
uū in lo-  
co.

corpus Christi non esse definitiuū in hoc Sacramento, quia quod dicitur esse definitiuū in aliquo loco, ita dicitur ibi esse ut non sit alibi, corpus autem Christi non solum est sub speciebus, sed etiam in caelo, immo potest esse in pluribus altaribus, & fracta hostia est in pluribus locis. Vnde dicitur esse tertio quodam modo huic Sacramento proprio. Nisi tamen sit quaestio de nomine, potest dici esse definitiuū, quia non occupat imensum spatium, 2. quia virtute vnius consecrationis & positionis ita est in certo spatio, ut si nulla variatio accadat circa species, ex vi eiusdem consecrationis non sit alibi futurum. his praemissis res ipsa examinanda est, itaque

# D V B I U M I.

*Vtrum idem corpus possit simul esse in diuersis locis?*

26.

Negativa  
suadetur.

**I**NTER cetera argumenta, quibus haeretici conantur probare Christi corpus non esse verē, & realiter in Sacramento Eucharistiae, vñ est, quod existiment fieri non posse, ut idem corpus eodem tempore sit in pluribus locis. quod probant. 1. idem corpus non potest simul esse in diuersis temporibus, ergo nec in diuersis locis. 2. si idem corpus simul esset in diuersis locis esset, idem & multa, quod omnino repugnat; esset quidem idem, quia id supponitur, multa verò, quia à seipso diuisum, & discontinuum. 3. tale corpus neque circumscriptiuū esset in loco, neque definitiuū. 4. inde sequeretur idem corpus respectu eiusdem rei posse esse sursum & deorsum, proximum & remotum, item moueri & quiescere, vno loco summē calefieri, alio frigesieri, vno loco bene valere, alio male, immo vno loco viuere, alio mori &c. 5. Aug. epist. 3. quae est ad Volusianum, censet nullum corpus posse simul esse vbique, quod tamen erit dicendum si concedatur posse simul esse in pluribus locis. idem Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 11. de Christo ita loquitur, *simul & in sole, & luna & in cruce esse non possit.*

27.

Quidam  
Catholici  
negat pos-  
se esse di-  
uisibiliter in  
pluribus  
locis.  
D. Thom.  
Sotus.  
Vafz.

Aliqui Catholici sentiūt quidem vnum & idem corpus posse simul esse in pluribus locis, vno diuisibiliter & quantitatiue, & alijs modo indiuisibiliter non posse tamen esse in pluribus locis diuisibiliter & cum extensione in ordine ad locum. ita D. Tho. in 4. dist. 44. quaest. 2. art. 2. quaestiuicula 3. ad 4. Sotus, dist. 10. quaest. 1. art. 5. & plures quos refert & sequitur Vasquez disp. 189. cap. 5.

Prior pars est de fide, & omnium Catholicorum, patetque ex praesenti mysterio. Secundam probant aliqui varijs argumentis, quibus vtuntur haeretici, ut ostendant fieri non posse, ut idem corpus in diuersis locis constituatur, scilicet quod hac ratione corpus à seipso diuideretur, item quod posset esse vbique, & ita immensitas non esset proprium Dei attributum. 3. quod quantitas faciat corpus distare à quibuscumque alijs, & circumferibat, quibus tanquam inefficacibus reiectis, Vasquez disp. citata cap. 6. probat, quia alioquin sequeretur quod duo vbi ab eadem causa effectrice procederent, quod est absurdum.

Scot. & alij  
putant pos-  
se etiam  
diuisibili-  
ter.  
Rich.  
Alan.  
Suar.

Alij Doctores censent idem corpus posse etiam modo diuisibili & quantitatiue esse in pluribus locis, ita Scotus dist. 10. quaest. 2. §. dico ergo. Rich. eadem dist. art. 2. quaest. 2. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 38. post medium. Suarez disp. 48.

sect. 4. conclus. 3. qui plures citat; quae sententia est probabilior. vnde

Dico 1. fieri potest ut idem corpus sit simul in pluribus locis, in vno quidem diuisibiliter, in alijs indiuisibiliter. Est de fide, quia de fide constat corpus Christi in caelo habere modum existendi quantitatiuum, in hoc Sacramento indiuisibilem, habuisse etiam vtrumque in vltima cenā, postquam consecrasset. adde nullam in hoc apparere repugnantiam, ut patebit ex argumentorum solutione.

Dico 2. potest etiam idem corpus simul existere in pluribus locis, modo indiuisibili, est etiam de fide, cum sit de fide corpus Christi peractā legitime consecratione esse in hoc Sacramento, & similiter esse sub qualibet parte hostiae separata, non est autem modo quantitatiuo. constat etiam esse in pluribus altaribus.

Dico 3. longē verius videtur vnum & idem corpus posse simul esse in pluribus locis modo quantitatiuo.

Probatur 1. constat Christum non deserturum caelum vsque in diem iudicii, vt patet Act. 3. & tamen Act. 9. apparuit S. Paulo in terris, & cum eo est locutus, vt etiam testatur Apostolus cap. 22. Actuum. ex quibus videtur constare Christum simul existisse in duobus locis in forma visibili, & modo quantitatiuo. quamuis enim apparitiones veteris Testamenti factae sint ministerio Angelorum Deum representantium, verius tamen est in nouo Christum in propria persona apparuisse.

Probatur 2. Deus potest idem secundo reproducere, etiam dum est in rerum natura, non potest autem ostendi, quod non possit producere in locis multitudine & modo quantitatiuo. quae enim in hoc implicat? immo supposita reproductione est connaturalius, vt res modo quantitatiuo producat; cum hac ratione vnicum admittatur miraculum, si verò reproducatur modo indiuisibili, duplex sit admittendum, prius, quod reproducatur, posterius, quod contra naturalem exigentiam corpus ponatur indiuisibiliter. vnde

Probatur 3. non magis repugnat corpus bis poni, & in locis distantibus modo diuisibili, seu cum extensione in ordine ad locum, quam modo indiuisibili: si ergo posterius fieri possit, vt Catholicis fieri debent, dicendum etiam prius fieri posse. Antecedens probatur, quia pleraque argumenta, quae contra priorem modum possunt adferri, militant etiam contra posteriorem, alia etiam parum concludunt, & specialiter videtur parum concludere ratio Vasquez. quid enim absurdi, aut quae contra dictio, si dicatur virtute supernaturali duplex rei reproductione, quid absurdi si illa duo vbi ab eadem causa virtute naturali producantur? quamuis enim res non nisi supernaturaliter bis producat, vel ponatur in duobus locis, supposita tamen replicatione se habet instar duarum rerum, & potest se ad diuersa loca mouendo duo vbi producere.

Nihil etiam concludit quod res modo quantitatiuo existens videatur per suam quantitatem determinari ad certum spatium & illius terminis claudi. dicitur enim quod licet ita se res habeat, spectata naturali rerum exigentiā, tamen in ordine ad diuinam virtutem possit aliter se habere, & quod non sit de intrinseca ratione quantitatis etiam quantitatiue & diuisibiliter in ordine ad locum existentis rem ita terminis certis spatij concludere, vt alibi existere nequeat etiam

etiam quantitativè. Similiter dicitur modum existendi circumscriptivè non dicere negationem existendi alibi, cum solum dicat quod res ita sit in loco, ut pars rei commensuratur parti loci, & tota res toti loco, siue alibi collocetur siue non, siue eodem modo siue alio. Vnde nisi sit quaestio de nomine & modo loquendi, non repugnat unam eandem rem pluribus in locis circumscriptivè collocari.

Confit. unumquodque corpus postulat ita esse vno loco ut alibi non sit, & nihilominus constat corpus pluribus in locis poni saltem indivisibiliter, quidni etiam poterit poni divisibiliter?

Ad argumenta initio allata respondeo ad 1. neg. consequentiam, est enim dispar ratio temporis & loci: plura tempora non possunt esse simul duratione (quod supponi debet in argumento.) unde mirum non est quod eadem res nequeat simul eis coexistere, loca verò diversa & inter se distantia possunt esse in eadem duratione, & proinde ex eo capite nihil obstat, quo minus eadem res simul, id est, eadem duratione, & tempore in illis esse possit.

Ad 2. Respondeo re ipsa esse unum, & non multa, nec esse à se divisum quoad entitatem, nec etiam esse discontinuum, quamvis sit praesens diversis locis. ad hoc enim ut aliquid dicatur discontinuum, non sufficit localis distantia, sed etiam requiritur diversitas rerum & quantitatum, unde ex sola diversitate & distantia locorum non aptè concluditur discontinuitas rei.

Contra, ergo inde non licet colligere multitudinem & discontinuitatem.

Resp. neg. sequelam, quia supponendo quod debet supponi, optimè colligitur cum enim unaquaeque res solum sit semel in rerum natura, idque supponatur Physico, ex locorum distantia optimè colligitur rerum multitudinem, & discontinuitatem. unde

Notandum plurimas collectiones esse, & censeri legittimas, spectatà naturali rerum exigentiā & constitutione, quas necessario dicendum est esse minus legittimas, si agatur de rebus ipsis, ut subsunt divinae potentiae, valenti operari supra rerum ordinem & naturalem earum constitutionem.

Ad 3. Resp. nisi fiat vis in verbis, corpus in diversis locis existens modo quantitativè, & cum extensione in ordine ad locum, dici posse utrobique esse circumscriptivè, quia, ut dictum est, modus existendi circumscriptivè ex intrinseca ratione non negat praesentiam eiusdem rei similem vel dissimilem sibi, sed solum dicit rem ita esse in tali spatio, ut locus ei adequatè respondeat, & tota res sit in toto loco, & pars in parte loci. Similiter modus existendi definitivè non dicit negationem existentiae in alio loco, sed quod res ita sit in aliquo spatio, ut sit tota in toto & tota in qualibet parte.

Ad 4. Respondeo concedendo idem corpus in eadem suppositione dici posse sursum, & deorsum, dextrum & sinistram, proximum & remotum respectu sui ipsius, constat enim haec omnia suo modo dici posse de anima, quae, ut est in capite, potest aliquo modo dici esse sursum respectu sui ipsius existentis in pede, potest dici dextra in brachio, dextro respectu sui ipsius existentis in sinistro. concedo etiam idem corpus posse moveri, & quiescere, accedere, & recedere: nam unum, & idem entitativè virtute duplex, potest ea, quae plura possent efficere, ad alia quae in eodem argumento adferuntur commodius infra respondebitur.

Ad 5. respondeo August. negantem corpus si-

mul posse esse ubique, non velle negare posse esse in omni loco, sed solum velle non competere ita esse in loco, ut totum sit in toto, & totum in qualibet parte loci, ut patet ex textu, scilicet naturaliter, verum id competere spiritui: ex eo autem quod corpus ponatur in pluribus locis, non sequitur illud secundum naturalem exigentiam posse ita esse in loco, ut totum sit in qualibet parte loci, ad alium locum August.

Respondeo eum nihil ad praesentem quaestionem spectare, non enim vult ne de potentia divina unum corpus diversis in locis posse divisibiliter existere, sed iuxta principia Manichaeorum docentium Iesum gigni patibilem ex omni ligno seu arbore, item Iesum esse in sole, & luna, & alium à Pontio Pilato crucifixum, quem videbantur dicere sine spiritu, vult, inquam, iuxta illa principia non posse dici hunc passum, cum secundum praesentiam spirituales non posset pati, & secundum corpus idem Iesus non posset simul esse in sole, luna, & cruce, ita scilicet ut omnibus locis à Pilato pateretur.

Ex his facile patet responsio ad alia quorundam Catholicorum argumenta.

Ad 1. dicitur, quod corpus non sit à se divisum eo quod in pluribus locis constituitur.

Ad 2. dicitur, quod licet concederetur corpus posse divinam virtute ubique esse praesens, non sequatur immensitatem non esse Dei attributum, nam Deus per suam immensitatem non quomodoque constituitur praesens cuius spatio, sed ita, ut omnimoda necessitate, & ex natura suae existentiae sit praesens cuius spatio imaginabili, & quidem ita, ut ex eadem naturae determinatione sit totus in qualibet parte spatii: licet autem poneretur corpus replicatum esse ubique, non posset dici id ei competere ex naturae conditione, neque posset dici postulare ita esse in aliquo spatio, ut sit totum in qualibet parte spatii. unde si ex alio capite non repugnet corpus replere infinitum spatium, non potest dici repugnare eo quod sequeretur immensitatem non esse proprium Dei attributum.

Ad 3. patet ex dictis quantitatem non ita circumscribere corpus, & certo loco constituere, ut simul alibi esse nequeat.

Occasione eorum quae in 4. argumento proponuntur, petitur num si corpus constitutum in pluribus locis in vno mutationem quamplurimam recipiat, eandem necessario recipiat in omnibus aliis, quae de re sunt plures sententiae etiam eorum qui censent corpus posse quantitativè constitui in pluribus locis. nam aliqui censent formas respectivas, quae dicunt ordinem ad locum, vno loco receptas, non recipi alibi, absolutas verò recipi.

Prior pars facile patet, quia localis praesentia dicens ordinem ad certum spatium, non potest recipi in forma alibi existente, cum non possit illam habere secundum aliquam replicationem, quin secundum illam sit in illo spatio, ad quod subiectum ordinatur per talem praesentiam, & in illa parte omnes facile conveniunt. de absolutis tamen varij contrarium sentiunt, dicentes non esse necesse ut si corpus in pluribus locis constitutum recipiat in aliquo illorum formam aliquam à se distinctam, eandem debeat in omnibus aliis recipere, quod videtur verius. itaque

Dico 2. licet sit conformis naturae rerum quod quando corpus aliquod à Deo pluribus locis constituitur, constituitur cum suis proprietati-

Licet poneretur corpus replicatum ubique, non posset dici id ei competere ex naturae conditione.

Quaestio.

Plures sententiae.

Formae respectivas dicentes ordinem ad locum non recipi alibi.

31. Formae absolute de potentia soluta possunt non recipi.

bus, & conditionibus quae solent illi connaturaliter contineri, tamen de potentia Dei absolute aliter fieri posset: nam Deus ponens idem corpus duobus in locis, potest vno loco vñire animam, in altero non vñire, vno loco ponere cum dispositionibus, alio sine illis collocare. certe Deus non videtur necessitari ad posterius eò quòd faciat prius, nec in eo vlla apparet contradictio.

Potest corpus in vno loco recipere formam ab agente naturali, quàm non in alio.

Dico 3. corpus in pluribus locis positum potest in vno illorum pati ab agente naturali, & recipere aliquam formam, quam in alio non recipiat.

Probat. agens naturale non potest naturaliter bis eandem formam producere, igitur ex eo quòd formam producat in subiecto in vno loco, non sequitur quòd producat in eodem subiecto alibi constituto. Antecedens probatur, iterata eiusdem rei productio pertinet ad solam diuinam potentiam, vt in confesso est apud omnes.

Deus non tenetur formam replicare, eò quòd replicet subiectum.

Dices pertinere quidem ad diuinam potentiam idem bis producere, supposita tamen duplici positione subiecti, agens naturale propria virtute posse accidens in illo bis ponere. sed id falsum esse ex eo potest ostendi quòd iterata subiecti positio nullam vim actiuam alteri tribuat, si ergo ex se, & sua conditione naturali non possit idem bis ponere, idque defectu virtutis actiuae, id non poterit etiam si subiectum concipiatur vel sit replicatum, quia replicatio nullam vim tribuit agenti illa carenti. habemus ergo qualitatem vel formam non posse per agens naturale naturaliter iteratò produci: sed nec dicendum est necessariò bis poni à Deo, quia Deus non tenetur formam replicare, eò quòd replicet subiectum: vnde enim illa necessitas? cur non possit Deus ponere corpus pluribus in locis non ponendo vtroque calore? Confirmatur eò quòd Deus collocauerit corpus pluribus in locis, non tenetur aliter concurrere cum agente naturali, quàm communiter soleat, sed potest concurrere concursu accommodato conditioni & exigentiae agentium naturalium, agens autem naturale exigit vnum effectum semel ponere.

Ex hoc autem discursu habemus non tantum de potentia Dei absolute posse ita fieri, sed esse conformius naturis rerum, quòd reipsa ita fiat.

Potè non tantum non recipit eandem numero formam, sed nec aliam similem. v. g. Petrus Romae & Parisiis existens non tantum non recipit Parisiis eum calorem quem recipit Romae, sed nec similem virtute agentis Romae calefacientis, quia tale agens non habet corpus, prout existens Parisiis, debet applicatum & approximatum, & proinde non potest calorem in illud inducere.

Probat. 2. propositio, si forma vno loco introducta debeat necessariò introduci in alio ubi idem corpus existit, dicendum erit aliquando agentibus contrariis debet applicatis, & aliis valentibus operari, vel non sequi actionem, vel formas contrarias in summo gradu in eodem induci, quorum vtrumque est absurdum, illud sequi probatur, ponatur Petrus Romae & Parisiis existens, Romae ita applicari igni, vt si non esset in alio loco ignis posset eum summè calefacere, Parisiis verò ita applicari aqua, vt ab eadem summè frigeretur, vel dicendum propter identitatem subiecti neutrum operaturum, altero alterum impediente, vel si neutrius actiuitas ab altero impediatur, calorem & frigus in summo produci in eodem subiecto: si enim ignis, eò quòd Romae producat summum calorem, eundem traiciat Parisios, aqua Parisiis producens summum frigus, idem traiciet Romanos,

& proinde idem corpus vtroque loco erit summè calidum, & frigidum, quod non nisi miraculose fieri potest. vnde

Probat. 3. agens naturale naturaliter operando non agit nisi subiectum sit debet applicatum, sed eò quòd vnum corpus sit in pluribus locis, non sequitur in omnibus debet applicari.

Confir. cum iterata positio non impediatur vim agentium, fieri potest, vt vno loco sit agens calefactum, alio frige factum, igitur maxime conformiter naturis rerum poterit vno loco calefieri & alio frigeri, vno loco vulnerari & alio bene habere &c.

Dices 1. formae contrariae non possunt ab agente naturali in eandem materiam introduci, item eadem materia non est capax simul duarum formarum substantialium totalium.

Resp. neg. assumptum, si materia sepius existat, quia in eo statu est virtute multiplex, & non est necesse vel contraria, vel etiam duas formas substantiales simul seu in eodem spatio informare.

Dices 2. formae conuenientes corpori sine respectu ad locum ita enuntiantur de illo, vt non limitentur per respectum ad locum, ergo si conueniant vno loco, necesse est conuenire in omni.

Resp. neg. consequentiam, nam quamuis possint conuenire, non tamen necesse est conuenire, nec dicimus diuersitatem locorum esse immediatam rationem cur non conueniant, sed causa ob quam non sit necesse conuenire, est virtualis distinctio illius rei à seipsa, & eadem entitas multiplicata, quae secundum vnam replicationem potest habere formam, & secundum aliam eam carere: causa cur interdum non possit recipere, est distantia eiusdem rei ab agente naturali secundum vnam replicationem: vnde dico rei etiam in eodem loco bis constitutae per diuinam potentiam posse vnam formam competere secundum aliquam replicationem, & secundum aliam competere formam oppositam, vel etiam priuationem formae.

Dices 3. ex his sequitur vnum, eundemque secundum diuersas replicationes posse esse acceptum Deo & inimicum. Aliqui totum concedunt, nec reputant absurdum, sed eum ad diuinam providentiam pertineat vt anima vno loco grata, non peccet alio, melius negatur illud assumptum, siue id implicet contradictiōem, siue non.

Dices actus vitales necessariò traiciuntur, ergo nulla ratione fieri potest, vt homo replicatus vno loco bene operetur, & alio male. ita quidam censentes huiusmodi actus necessariò traici propter sympathiam, quam habet anima, vt est in vno loco, ad seipsam vt existentem in alio. sed contrarium videtur probabilius, quia vniuersum loquendo creatura virtute sua connaturali non potest eundem numero effectum bis ponere, vt communiter Doctores, praeterea non est intrinseca dependentia in homine Romae existente à seipso existente Parisiis, quando vtroque est perfecta & adequata praesentia. vnde non est ratio propter quam agatur actum vitalem necessariò traieri, & si producat ab anima vno in loco existente, necessariò produci in omnibus, in quibus illa existit. vnde soluitur ratio in contrarium allata, nam sympathia non est vbi non est dependentia, quae dependentia cum non inueniatur in anima existente secundum vnam replicationem respectu sui, prout existens secundum aliam, sequitur inter animam vno loco habentem perfectam, & adequatam existentiam, & eandem alibi similiter perfectam & adequatam existentem

existentem non esse sympathiam, & proinde nec ratione sympathiae eundem effectum seu actum vitalem trahit.

## DUBIVM II.

*Utrum corpus Christi in hoc Sacramento habeat aliquam praesentiam localem distinctam a praesentia specierum, per quam dicatur esse in loco?*

**A**LIQVI negant, negantes Christi corpus in hoc Sacramento esse tanquam in loco. sed

Verius alij affirmant: nam quamvis Christi corpus non respiciat species, sub quibus latet, tanquam locum, hoc tamen modo respicit spatium in quo sunt species. nam dicitur esse in illo spatio, non alio modo existendi, quam eo quo locatum dicitur esse in loco; item corpus Christi existens in uno altari potest dici distare a seipso existente in alio, vel etiam in caelo, quae denominationes non solum proveniunt ratione specierum, cum corpus Christi easdem denominationes sortiri possit, si conservaretur destructis speciebus secundum eam replicationem, quā sub illis existeret.

Confirm. Christi corpus longe aliter existit in spatio, quam ipsae species; nam haec existunt quantitativè & cum extensione in ordine ad locum, corpus autem Christi totum est in singulis partibus spatij; ergo habet proprium modum existendi distinctum a modo existendi specierum, qui modus vocatur *ubi*, vel praesentia localis, quae praesentia ita se habet respectu corporis Christi in hoc Sacramento, sicut se habet respectu aliorum. unde si res aliae constituantur in loco per *ubi* seu praesentiam a se distinctam saltem modaliter, praesentia corporis Christi ponenda est distincta ab illo: si verò res sit in loco seipsa, nullo intrinseco adveniente (ut habet aliquorum opinio) etiam Christi corpus constitueretur in spatio specierum absque illo modo superaddito. Porro, si praesentia, seu *ubi* corporis Christi sit modus ex natura rei ab eo distinctus, est corporalis, cum subiectetur in re corporea; accidens autem spirituale nec subiectetur in corpore, nec ex eius potentia educatur. Videtur etiam dicendum ipsum *ubi* non coexistere loco divisibiliter, ita ut habeat partes extra partes (ratione, quā modi possunt habere partes) sed suo modo sit totum in toto & totum in qualibet parte. Probatur illud *ubi* inherere quantitati corporis Christi, ergo sortitur modum existendi ipsius quantitatis, quae ita se habet in hoc Sacramento ut in ordine ad locum sit tota simul; ergo & ipsam *ubi* ita se debet habere ut sit totum in qualibet parte loci.

Dices est ratio existendi in loco divisibili; ergo ipsum debet poni divisibile, cum non possit intelligi quomodo indivisibile seu modo indivisibili se habens possit alteri esse ratio existendi in loco quanto, & divisibili.

Resp. neg. consequentiam, ad cuius probationem dico licet mens egrè illud concipiat, rationem tamen à posteriori ostendere id esse dicendum; cum accidens in extensione vel non extensione, non tam debeat sequi conditionem alicuius extrinseci quod respicit, quam conditionem subiecti cui inheret, quia magis intrinsecè respicit subiectum ex cuius potentia educitur, cui proinde po-

tius debet proportionari. simile quid dicendum de *ubi* Angelico, quod licet possit Angelo esse ratio coexistendi loco quanto & divisibili, ipsum tamen non est quantum quantitate molis, nec est divisibile, sed spirituale & indivisibile, ita ut Angelus per modum seu *ubi* spirituale & indivisibile possit coexistere vni leticae.

Dixi ipsum *ubi* suo modo esse totum in toto &c. quia *ubi* non tantum est alteri ratio existendi in hoc vel illo loco, sed ipsummet suo modo dici potest seipso esse in loco; quemadmodum existentia non tantum est rei seu naturae ratio existendi, sed ipsa dici potest existere, & esse extra nihil.

Aduerte 1. tale *ubi* ita rem certo loco constituere, ut etiam si quantitativè poneretur, neque alio loco constitueret, neque maiori; quia est ratio coexistendi huic spatio, & dicit ordinem ad hoc spatium, siue ipsum *ubi* per partes sui extendatur, siue non. unde si quantitas corporis Christi, quod est in hoc Sacramento, extenderetur in ordine ad locum, & constitueretur in loco proportionato quantitati corporis humani modo quantitativo existenti, deberet constitui per aliud *ubi*, quia maius spatium occuparet.

Aduerte 2. hunc modum secundum se non esse supernaturalem, sed naturalem, & videri essentialiter convenire cum praesentia, quā corpus ponitur praesens cum extensione ad locum.

Dices inde sequi, quod res per illum ponatur extensa in ordine ad locum.

Resp. neg. sequelam, & dico *ubi* differre ab extensione in ordine ad locum, & esse illā posterius, quia immutata extensione mutatur *ubi*, dico etiam quod *ubi* etiam quantitativum, quod naturaliter constituit rem divisibiliter in loco, possit per divinam virtutem constituere indivisibiliter sine extensione subiecti in ordine ad locum, quam in sua ratione formali non includit, sed tantum postulat illam ut modo connaturali reddat rem quantam praesentem loco.

Contra resolutionem obicitur, corpus Christi eiusque quantitas sunt sine extensione in ordine ad locum, & proinde ita se habent in ordine ad locum ac si non esset quantitas.

Resp. 1. verius est rem esse in loco, non ratione solius quantitatis, sed ratione entitatis suae; quamvis enim quantitas modo naturali existens, rei sit ratio existendi in loco quantitativè & circumscriptivè, tamen ipsamet entitas potest esse in loco sine quantitate, nam longè verius est res spirituales ita esse in loco ut ipsorum entitas sit praesens loco, ratione praesentiae sit distans ab alio non existente in eodem spatio &c.

Resp. 2. etiam si res non esset in loco, neque haberet *ubi*, nisi mediante quantitate, optimè dici posset corpus Christi secundum esse, quod habet in Sacramento, esse in loco, cum ibi habeat suam quantitatem, quae potest esse in loco.

Confirm. si corpus Christi solum esset in loco mediantibus speciebus ita ut non haberet proprium *ubi*, deberet dici esse divisibiliter in loco, cum quantitas specierum sit in loco divisibiliter, & proinde cuiusque est ratio existendi in loco, eidem sit ratio existendi divisibiliter.

Ipsam *ubi* suo modo dici potest seipso esse in loco.

34.

Hic modus secundum se est naturalis.

Obicitur contra resolutionem.

Resp.

Ipsa entitas potest esse in loco sine quantitate.

## DUBIVM III.

*Utrum inter corpus Christi, & species in Sacramento Eucharistia intercedat vera, & realis unio?*

35.

**A**FFIRMANT aliqui, censentes eam unionem esse ineffabilem & incomprehensibilem.

Verior negatiua.

Scor. Gabr.

Sed verius alij negant ullam unionem realem intercedere præter inseparabilem præsentiam, ratione cuius corpus Christi dicitur esse simul sub speciebus & sub illis latere. videri potest Scor. dist. 10. quæst. 1. Gabriel eadem dist. quæst. unica art. 2. conclus. 10. & alij.

Corpus & species non respiciunt se ut actus & potentia.

Probatur, discurrendo per omnia genera unionum. non potest intercedere unio partium essentialium, quia corpus Christi, & accidentia in venerabili Eucharistia non respiciunt se inuicem, tanquam actus, & potentia ad constituendam unam integram naturam, & compositum essentiale, nec unum se habet per modum materiæ, & alterum per modum formæ, propriè loquendo.

Non etiam ut partes integrales.

2. Corpus Christi, & accidentia non vniuntur inter se tanquam partes integrales, cum non habeant se tanquam partes integrales alicuius tertij, quod naturaliter respiciant, ut totum integrale.

Nō etiam, ut subsistentia, & natura.

3. Non vniuntur inter se, tanquam subsistentia & natura, quia neutrum respectu alterius se habet tanquam subsistentia, vel natura. adde accidentia in hoc Sacramento existere per se, & proinde non respicere aliud tanquam subsistentiam, quā subsistent. adde etiam terminos resultantes ex omnibus relatis unionibus esse unum per se, cum tamen constet compositum ex corpore Christi, & accidentibus non posse dici unum per se, quia substantia & accidens non possunt coire in unum per se.

Non etiam ut subiectum, & accidens.

4. Non vniuntur inter se, tanquam subiectum & accidens, tum quia est de fide accidentia in hoc Sacramento esse sine subiecto, tum quia accidens non solet vniri subiecto nisi educatur ex potentia illius; hic autem absque fundamento contrarium diceretur: immo vniri tanquam subiecto necessario requirit huiusmodi educationem; quod enim alteri ita vnitur, respicit illud ut causam sui materialem, non tanquam compositum ex illa, sed tanquam formam; forma autem non respicit aliud tanquam causam sui materialem, nisi quia ex illo educitur.

Confirm. nisi id dicatur, non potest commodatio assignari, cur anima rationalis non respiciat materiam tanquam causam sui materialem, & cur quando eadem vnitur materiæ, non insit illi, ut subiecto. 3. Si accidentia vnirentur corpori Christi tanquam subiecto, illud haberet duas quantitates, scilicet suam, & quantitatem panis, quæ illi tanquam subiecto inesset: haberet etiam duos modos existendi sibi planè repugnantes, nam ratione suæ quantitatis esset indiuisibiliter in ordine ad locum, diuisibiliter verò & quantitativè ratione quantitatis panis, quæ illud tanquam subiectum afficeret, ratione cuius quantitatis haberet partes extra partes, atque adeò corpus Christi in hoc Sacramento dicendum esset habere partes extra partes; nam quantitas suo connaturali modo existens in aliquo subiecto, seu existens extensa in ordine ad locum, subiectum in eodem ordine extendit. hæc autem partim sunt falsa & fidei principis repu-

gnantia, partim requirunt miracula minimè necessaria huic mysterio, & sine quibus tota res potest explicari.

5. Neque dici potest interuenire unio hypostatica, quia vel accidentia essent dicenda hypostaticè vniri corpori, & eo mediante Verbo, vel immmediate diuinæ subsistentiæ: prius dici nequit, nisi inueniatur unio aliqua ex recensitis cum corpore, ut patet in accidentibus humanitatis Christi. 2. Accidens non potest dici vniri hypostaticè, mediante corpore, nisi aliquo modo respiciat corpus, vel tanquam pars totum, vel ut accidens subiectum, vel tanquam forma materiam, & aliquo genere unionis ei vnatur. Non possunt etiam dici vniri immediate diuinæ subsistentiæ, quia fides solum agnoscit unionem hypostaticam Verbi cum humanitate.

Ex his habemus nullum genus unionis formalis & internæ posse inueniri inter species & corpus Christi, atque adeò non debere dici intercedere.

Dices hinc tantum sequi unionem corporis cum speciebus non esse similem assignatis, esseque ineffabilem.

Resp. non tantum id sequi, sed quòd talem unionem non debeamus asserere. cum enim ex nullo principio theologico habeamus huiusmodi unionem, quamvis incomprehensibilem, intercedere, & aliunde aduertamus nullam esse ex his, quas vel fides vel ratio naturalis nos docet in rebus inueniri, sufficiens fundamentum suppetit ad asserendum nullam formalem internam intercedere inter corpus Christi, & species.

Confir. dicta hæc unio nec est necessaria ad saluandam rationem Sacramenti, cum partes sacramentales, & ea quæ ad Sacramenti constitutionem cōtinent, nullam inter se physicam unionem necessariò habere debeant, ut patet in aqua, & formâ baptismi; nec etiam requiritur, ut corpus Christi dicatur esse sub speciebus, cum modus existendi per se ipsarum specierum non obscure repugnet unioni earumdem cum corpore, neque potest facile assignari caput, ob quod requiratur. cum ergo ratio etiam fide illustrata non aduertat, qualis possit esse illa unio inter corpus Christi & species, non est quòd asseramus eam intercedere.

Dices corpus Christi in hoc Sacramento dicitur supplere vicem substantiæ panis, seclusâ inherentiæ; ergo vnitur speciebus.

Resp. neg. consequentiam, 1. quia eo ipso quo additur, seclusâ inherentiâ, satis insinuat nullam intercedere physicam unionem inter corpus Christi & species, cum unio panis cum speciebus esset per earumdem inherentiam. 2. Quia dici potest supplere, non quòd per omnia eodem modo se habeat respectu specierum, quo panis, sed quòd constituitur sub illis, tanquam per illas designabile, quemadmodum species ante consecrationem designabant panem tanquam subiectum suum connaturale, ita post consecrationem designant corpus Christi, quod per verba consecrationis sub illis collocatur. hac ratione dicuntur corpus Christi continere, quia sunt velamentum, sub quo per consecrationem Christi corpus constituitur, ad quam denominationem nulla opus est physica unione, sed sufficit, quòd ex diuinâ institutione illud corpus constituitur præsens speciebus per illas designabile.